



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

HELIE ABBATI ET CONVENTUI
de Radingia Cluniacensis ordinis.

Epist. 16.
Ipsium monasterium & bona eorum suscipiuntur sub protectione, & confirmantur eis privilegia.

Sacrofancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetâ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suâ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, monasterium de Radingia, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentia rationabiliter possidet aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, necnon & personas in eo Domino famulantes, sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesias, Capellas, terras, possessiones, & redditus, libertates, & immunitates, & omnia alia quæ concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, seu etiam emptione vel donatione, ac oblatione fidelium, aut aliis justis modis estis hæcenus affecti, sicut ea omnia justè ac pacificè possideris, auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus, districtius inhibentes ne quis super privilegiis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vos aut monasterium vestrum temerè molestare præsumat. Nulli ergo &c. nostræ protectionis, confirmationis, & inhibitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Martij, anno decimo.

E I S D E M.

Epist. 17.
Insulgetur quod liceat eis bona monasterii alienata revocare.

Cum ex illorum incuria qui monasterio vestro per tempora præfuerunt, & damnosa taciturnitate conventus, qui plerunque factis eorum contradicere non est ausus, contra ipsius monasterij privilegia nonnulla de bonis ejus alienata dicantur in ipsius grave præjudicium & jacturam, volentes indemnitate suis paterna sollicitudine præcavere, præsentium vobis auctoritate concedimus ut quæ sic ab eodem monasterio alienata fore noscuntur, liceat vobis ad ipsum legitime revocare. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

ABBATI DE RADINGIA.

Iustis perentium desideriis &c. usque assensu, præsentium tibi auctoritate concedimus ut in exterioribus monasterij tui procuracionibus liceat tibi, cum consilio Capituli vel majoris aut sanioris partis ipsius, fratres professionis vestræ in religione probatos, industrios, ac discretos absque contradictione cujuscunque, sicut eidem monasterio expedire videris, constituere, ac iterum exigente utilitate, vel urgente necessitate, cum tibi bene placuerit, de simili fratrum consilio revocare. Ita sanè quòd res, possessiones, redditus, & proventus monasterij memorati non nisi per manus fratrum, qui tibi & Capitulo tuo de sibi commissis, prout debitum est, respondeant, disponantur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Id. Martij, anno decimo.

MAIORI DECANO, PRIORIBVS,
& ceteris Clericis Colonienfibus.

Licet Colonienfis Ecclesia in favorem suum super negotio Imperij nos induxerit, non nos ipsam, ac ideo plus nos ei quam ipsa nobis de ipso negotio imputare possimus, quia tamen postmodum fidelem eam invenimus & devotam, hoc ipsum quòd in suo proposito constantiam conservavit, ita gratum gefimus & acceptum, ac si sequentia, non de suo, sed de nostro potius initio provenissent. Vtinam autem nunquam natus homo ille fuisset qui Ecclesiam & civitatem vestram turpitudinum suarum contagione scævavit, eamque perniciosissimis factis suis in multiplicem difficultatem induxit. Verè filius Belial, quandoquidem ipse lubricus & versutus fuit, ipse versipellis & perfidus, callida semper arte decipiens, bonis nostris initia fraudulenta suggessit, ut tanto demum facilius malignari posset in ipsis, quanto de opere quasi suo confidentes in eo familiaris pejus offenderet inimicus, illius imitando versutiam qui frequenter allicit nonnullos ad bonum, ut gravior malum eliciat ex eodem. Quia verò postquam draco ille projectus est, per quem Satan cribrandos vos quasi triticum expetivit, nullatenus fides vestra defecit, quos adversarius impulit, non versavit, arietisque tentationum admotus constantiæ vestræ murum non potuit penetrare. Cum igitur tanquam aurum in fornace Dominus suos probet

Epist. 18.
Vt in exterioribus monasterij procuracionibus liceat sibi fratres professionis in religione approbatos absque contradictione constituere & revocare prout sibi videbitur.

Epist. 19.
Adversus tribulationibus afflicti confortantur & inducuntur ut robustiores & intrepidius existant.